J. J.

JOHANNES HENRICUS STARCKE,

PHILOSOPHIÆ AC MED. D. P.P. SECUNDARIUS,

AUGUSTISSIMI REGIS IN PRUSSIA CONSILIAR. ET ARCHIATER

AB AMPLISSIMA FACULTATE MEDICA AD HUNC ACTUM PROMOTOR DESTINATUS

B. L. S.

Diximus nuper, quod duo præcipua fulcra l. adminicula fuerint, quibus *olim* Medicina ex parvis initiis ad Summam & plane divinam Excellentiam evecta est, *Experientia* sc. & *Ratio* juxta se posita, & amicè inter se conspirantia. Quid enim experientia sola, sine ratione, quæ causas subministrat affectionum corporis humani & effectorum in singulis medicamentis? Et quid Speculationes nudæ rationis sine experientiâ, quæ exempla & historiam morborum & medicamentorum, non unius vel alterius hominis, sed multorum seculorum annotata suggerit? Potiori tamen jure id de hujus vix cœpti & proximè elapsi Seculi Medicinâ dicere possumus, quæ non contenta vel *Empiria* vel *Speculationibus* Veterum, longè splendidius excoluit *Anatomiam* pariter & *Physicam*, assumtis in auxilium *Chimia* & *Geometria*, imo *omnibus Mathematicis Artibus*, & quæ ex illis fluunt *Mechanicis & Algebraicis Demonstrationibus.* Unde nova quasi Secta Medicorum nata est, quæ *Dogmatico-Mechanica* & secundum excellentiam *Rationalis* dicitur. Fuerunt sanè Medici Veteres *quarundam ex* his artium etiam Studiosissimi, in primis *Geometriæ*, & eam quam *utilissimam ad structuram corporis humani, & operationes Medicas Chirurgicasque* judicarunt, adeò ut suis etiam Auditoriis, quod de Philosophis quibusdam fertur, hanc Inscriptionem præfixisse videantur: Οὐδεὶς ἀγεωμέτρητος εἰσίτω, *Nemo Geometriæ ignarus ingrediatur. Hippocrates* Thessalo filio voluit commendatissimam & Geometriam & Arithmeticam, tum ob alios usus, quos in vitâ humanâ habent artes istæ, tum quod *mentem reddant acutiorem & clariorem ad fruendum iis omnibus, quorum usus in Medicinâ expetitur:* Et longum ibidem subnectit Catalogum eorum, ad quæ utraque ars Medico prosit. Sed hæc Veteres Medici *Medicorum* tantum *Filiis* & quasi *in aurem*: Cœterum sollicitè cavebant, ne quid ex his *in vulgus* emanaret, *majorem suæ existimationis, quam publici boni rationem habentes.* Quod invidiæ genus & Mathematicis & aliis artificibus â multis seculis haud infrequens fuisse videtur, qui si præ se ferrent, se artis suæ occultissima detegere velle, illa tamen *ænigmaticis obscuritatibus* & quasi *nubeculis* quibusdam involverent. Feliciora, ut dixi, nostra sunt secula, quibus Excellentissimi quivis Medici, cogitantes se esse *ministros naturæ*, naturam & Sapientissimum ejus Conditorem imitari voluerunt. DEus enim *pondere, mensura & ordine* omnia condidit, & *per æquilibrium quasi* omnia universi hujus corpora conservat: natura *materiæ & motus* auxilio componit & destruit, generat & corrumpit varia. Hæc autem cum viderent, in *Statica, Mechanica, Chimia & aliis ejusmodi artibus* fundamenta sua habere, ut DEum & Naturam, duces optimos, sequerentur, has artes sibi excolendas duxerunt Medici meliores, & applicandas ad Medicinam, cujus *Objectum* esse videbant *Machinam corporis nostri Hydraulico-Pneumaticam*, (de quâ alibi fortassis dicendi dabitur occasio) & Orbi literato communicanda sua inventa, ut bono publico consulerent; & alios ad simile studium excitarent. Sectatus est hanc viam Illustrem Nobilissimus etiam & præclare doctus Dominus *Justus Conradus Rethmeyer*, & cum suam industriam atque doctrinam *Ratione & Experientia* ferruminatam in Examinibus exantlatis non solum, sed per *Lectiones etiam Cursorias* approbarit, & ulterius approbare velit per DISPUTATIONEM INAUGURALEM, quam *de Strepitu ossium*, rarâ quidem, curiosâ tamen & nobili materiâ die XIV. Julii in Auditorio Majori habebit. Ornabitur IDEM peracta Disputatione, *summis in Medicinâ honoribus*, & ex Privilegio, quod Gratia Augustissimi Regis in Prussia &c. &c. Domini Supremi ac Nutritii nostri Clementissimi, *Facultati Medicæ* non ita pridem indulsit, jussu Ejus, voce mea, ad hunc actum destinati Promotoris, DOCTOR MEDICINÆ proclamabitur. Cum autem eodem Privilegio jure gaudere debeant, qui olim in hâc Academiâ post examina & Lectiones Cursorias pro Licentiâ disputarunt, & post Disputationem Licentiati Medicinæ publicè in Auditorio Majori renunciati sunt, jam autem ab Ampliss. Facultate Medicâ & Doctoris titulum sibi communicari petierint Viri Excellentissimi, atque Amplissimi Dominus *Johannes* Gottsched/ Prof. Med. Extraord. & Physices Ordin. Designatus, & Dominus *Petrus Thofall*, olim Physicus Regiæ Urbis Insterburg/ jam autem Archiater Serenissimi Ducis Curlandiæ, uterque Medicinæ Licentiatus, eorundem Excellentissimorum Virorum petito deferetur, & publicè simul ipsis DOCTORUM Medicinæ Titulus conferetur. Ut autem Magnificus Dominus Rector, Amplissimus Senatus Academiæ, & cuncti Facultatum reliquarum Excellentissimi Domini Professores, omnes etiam literarum Fautores solennis hujus Promotionis Actui Primo interesse dignentur, eâ, quâ par est, humanitate rogatos volo.



REGIOMONTI Typis REUSNERIANIS.

nx
sa
bi
m
ta
qv
ha
ri
Gy
tu
pli
bli
pr
M
atq
pr
No
P.